



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

§. 2. Quantopere Christus Exercitia æstimârit & commendârit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

*pulus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicè ad momentum, donec pertranseat indignatio?* ) qui accuratius perpendit, an non fateri cogetur, cõfilium hoc per Exercitia Spiritualia perfectissimè adimpleri, adeòque jam tum DEUM ad solitudinem hanc sacram respexisse?

V. Quòd si denique admirandi in his Exercitiis producti effectus, admirandæ inquam, conversiones, copiosæ consolationes, & altissimæ illustrationes considerentur, quid aliud sunt nisi clarissima DEI testimonia, quibus testari dignatus est, hæc Exercitia ( quod multorum aliàs etiam sermone percubuit ) esse opus humano majus & nobilissimum æternæ suæ mentis inventum?

## §. II.

Quantopere Christus Exercitia hæc æstimârit, & commendârit.

I. Quantopere Servator noster Exercitia hæc æstimârit, clariùs testari non potuit, quàm cùm in desertum secedens, quadraginta diebus & noctibus, sine ullo humano consortio vixit, solisque contemplationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus vacavit; quam ob causam Petrus Guerrerius Archiepiscopus Granatensis, uti Historiæ Societatis p. 1. l. 13. n. 86. refertur, Exercitia hæc summi faciebat, dicebatque semel in concione. Christum in desertum tanquam Exercitia spiritualia secessisse, ut omnes suo invitaret exemplo, docerétque necessarium subinde esse, ad res animi sui considerandas locum, tempùsque vacuum sumere.

II. Sed & aliud non obscurum hujus rei testimonium reliquit, quando Discipulos suos ultro ad secessum spirituales invitavit Marc. 6. dicens: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pauillum*; ubi per quietem utique non corporalem duntaxat cessationem à laboribus, aut somnum intellexit, sed depositionem curarum, & occupationum ad alios juvandos pertinentium, sui que accuratam inspectionem & recollectionem, ut novo fervore & alacritate ad pristinos labores redirent.

III. Quando verò Matt. 6. dixit *Tu autem cum oraveris,*



ris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi: quid aliud, quàm secessum spiritualem suavitè videtur? ubi enim perfectiùs hoc Christi consilium impletur, quàm in his ipsis Exercitiis, dum & cubiculum privatum eligitur, & diligenter clauditur ( id est, sine necessitate non exitur ex eo, nec quisquam aliis nisi simili ex causa admittitur ) & magno cum fervore plerumque tempus Orationi impenditur?

IV. Clarissimum verò de utilitate horum Exercitiorum testimonium tulit, quando, ut in Actibus Apostolorum legitur præcepit Apostolis suis, ut ab Jerosolymis non discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam petrus ejus audiverunt; quæ enim fuerit expectatio, sat clarè eisdem indicatur, dum dicitur, quòd in cœnaculum introierint, & unanimiter perseverârunt in oratione cum Mulieribus, & MARIA Matre JESU, & Fratribus ejus; quid autem hoc aliud erat, nisi Exercitiis spiritualibus vacare, & petrus se dignissimè ad Paraclæti promissi optatissimum Adventum præparare?

### §. III.

#### Quam æstimationem B. Virgo de Exercitiis spiritualibus habuerit.

I. Quid Sanctissima DEI Mater de præstantia & utilitate Exercitiorum horum spiritualium sentierit, non video efficaciùs ostendere, & probare posse, quàm si specialem revelationem à P. Ludovico de Ponte in vita P. Balthasari Alvarez c. 53. §. 1. narratam ipsius Authoris verbis retulerem. Sic ergo illi scribit.

II. Ex multis Personis altissimæ Orationis, quibus feci ( quæ non fuerunt pauca ) fuit quædam, cui Deus Dominus noster, & Sanctissima ejus Mater, extraordinarios valde devotes & misericordias exhibebant, de cujus sincera veritate cum aliquid dicit, habeo eam moralem certitudinem, quam in ejusmodi rebus homo habere potest. Illa, inquam, mihi dixit, quæ referam.

III. Cum illa intellexeret, homines Societatis ad hoc